

16



MEDICATIO
 VIRI
 IN CUBO
 DIVEXATI;
 QUAM
 Divino adjuvante Numine
 SUB PRÆSIDIO
 VIRI CLARISSIMI
 D. HENRICI REGII,
 Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ
 ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicæ disquisitioni exhibet
 CORNELIUS ELBARCHS Arenaco-Geldrus
Ad diem 10. Septembris, hora 9. matutina



Naturâ & Industriâ.

TRAJECTI ad RHENUM,
 Apud PETRUM DANIELIS SLOOT,
 ANNO M. DC. XLV.



Pietate, eruditione, ac fidelitate clarissimis Viris

D. BARTHOLOMEO PREVOSTIO, } Fautoribus
D. JOANNI MONACHIO, } meis perpe-
D. WILHELMO ISVORDINGIO, } tuum vene-
Ecclesiae Remonstrantiae Promotoribus ac Pastoribus } randis.
indefessis:

NEC NON

Integerrimis Viris

D. HENRICO ELBARCHS, } Illi Patrueli,
Celsissimi Principis Brandenburgici ad Tol- }
hulam *Nauopta* fidelissimo, }
D. NATHAËLI COST, apud Daven- } Huic Amiti-
trientes *Bibliopola* celeberrimo. } no conjunctis-
simo.

Hanc exercitationem Medicam

Animo
imo
do
edo
dedo

CORN: GOTHOFREDUS ELBARCHIUS.

M E D I C A T I O
V I R I
I N C U B O
D I V E X A T I ;

I.

V Ir quadragenarius, boni habitus, qui diu ingluviei & ebrietati indulset, interdum bene se habes, & mente ac sensibus integer, ubi sub noctem se ad quietem componit, frequentissime nocturno quodam ludibrio afficitur. Putat enim se in somno interdum vi ad venerem sollicitari, interdum à magna mole vel homine incumbente suffocari, adeo ut vix loqui aut respirare queat; sensibus stupefcentibus, non tamen ademptis. Cum se movere cupit, maxima accedit anxietudo: qua summopere perturbatus, tandem evigilat. De capitis gravitate interdum etiam conqueritur. II.

In hoc ægro afficitur cerebrum secundum illam partem, unde nervi respiratorii originem ducunt; & hinc etiam afficiuntur muscoli thoracis ac pulmo: quod ex læsa respiratione & capitis gravitate est manifestum. III.

Morbus, qui ipsum divexat, est *incubus*; sive intemperies sanguinea & pituitosa cerebri, quæ meatus ejus, in nervos respiratorios desinentes, in somno frequentissime angustans, insomnium excitat, quo ægro ab incumbente vel strangulante aliquo corpore respiratio & vox præcludi videntur,

IV.

Causa procatartica, unde hic morbus primò originem ducit, est ingluvie & ebrietas, quibus æger noster diu frena laxavit. Hinc enim magna copia humorum sanguineorum & pituitosorum in ejus corpore fuit genita; quæ *antecedens* hujus morbi est causa, eaque in vapores resoluta, ac in cerebrum copiosius delata, illudque in somno nimis gravans, & meatus nervorum respi-

H 2

rato-

ratoriorum angustans, spirituumque justam in eos reciprocationē impediens, continentem ejus & symptomatum constituit causam.

V.

Dum enim ab humore vaporoso, meatus nervorum respiratoriorum in somnis occupante, respirationis difficultas, & inde magna molestia aegro nostro oboritur: hinc spiritus animales in ventriculis cerebri fortius dilatati, & sensorium commune à superioris cerebri pressione, omnia insomnia omnesque cogitationes alioqui impediente, liberantes, ipsi imaginationē excitāt; quā, quia veram molestiā istius respirationis causam in somno excogitare non potest, ab invadente aliquo sibi fauces ac thoracem magna vi comprimi, spiritumque sibi præcludi imaginatur. Ille autem magno conatu, ab opprimente pondere vel homine invadente, se, ut putat, in insomnio expedire laborans, præ imaginarii periculi timore magnopere, angitur; & quia nervi tactorii, per somnum à subsidentis cerebri mole compressi, propter hujus insomni in quietudinem parum tantū patent, idcirco tactus ipsi, in agitando corporis conatu, stupet. Conamine verò isto laborioso diutiuscule perseverante, spiritus animales in ventriculis cerebri vehementius dilatantur, & novi è corde tam copiosè eo propelluntur, ut non tantum sensorium commune, sed etiam ventriculi cerebri & nervi cerebro subjecti, à pressione & subsidentia liberentur, ac humores vaporosi, qui nervos respiratorios angustabant, discutiantur, atque ita aeger noster, magnopere insomni istius ludibrio turbatus, tandem evigilet, & ab ista respirationis difficultate solvatur.

VI.

Et quoniam semen copiosum in partibus genitalibus, ex copioso sanguine ab ingluvie & ebrietate natum, quod venereorum insomniorum cogitationes, suo peculiaris temperamentum motu, sæpè excitare solet, nonnunquam in ipso redundat, ideoque molestiam respirationis in somnio percipiens, interdum ab invadente quapiam se vi ad venerem sollicitari & cogi somniat.

VII.

Metus est, ne hoc malum in grave scens in ipso paroxysmo ipsū suffo-

suffocet, vel sanguinē in ventriculos cerebri vel ejus substantiam effundendo, vel carotidas arterias vel plexum choroidem aut eorum poros obstruendo, apoplexiam, vel carum, vel alium similem gravem cerebri morbum ægro nostro accersat: ideoque tempestiva *Curatione*, hujusmodi mala sunt præcavenda.

VIII.

Eaque tota in causa procatartica, antecedente, & continente tollendâ & intemperie corrigendâ, versabitur.

IX.

Primo itaque talem sumat haustum jejunus:

R. *spec. diaturbith cum rabarb.*
diacarthami, an, dragm. s.
cremor. tartari scrup. j.
scammonii gr. xij.
cerevisia tenuis q. s.
m. f. Potio

Postridie aperiatur ipsi vena in brachio dextro, & sanguis educatur ad uncias decem.

Postea præscribatur hoc medicamentum:

R. *rad. acori, angelicæ, pæonia an. vnc. s.*
feniculi, petroselini an. vnc. j.
fol. betonica, fumarie, cuscute,
scolopendria, acetosæ an. m. j.
hyssopi, endivie, boragin, an. m. s.
sem. anisi, feniculi, cymini an. dragm. iij.
decoquantur in aq. communi ad lib j. s.
addendo sub finem decoctionis fol. sennæ vnc. j. s.
rabarb. agarici, salappæ an. dragm. iij.
cremor. tartari scrup. iij.

Colature adde syr. de cichorio comp. cum rheo vnc. j. s.

F. Apozema, de quo sumat quotidie vnc. iv.

Corpore his universaliter purgato, utatur erthinis & apoplegmatismis, & sternutatoriis, jejunus, ad particularem capitis evacuationem instituenda m.

In nucha, vel alterutro brachio, excitetur fonticulus, diuque apertus seruetur.

H 3

Interim

Interim hoc utatur medicamento:

R. *spec. diarbod. abbatis, aromatisi rosati,*
diambre, diamusci dulc. an. scrup. j.

dissolutis in aq. betonica adde saccari albiss. vnc. ij.

& F. Confectio in tabulis, de quibus sumat
dragm. ij. vel iij. post singulos pastus.

Et per plures dies sumat pæoniæ maris semina xv. pulverisa-
ta & aqua betonica mixta.

Nocturno tempore hanc cucupham gestet capitis tegumento
inclusam:

R. *cortic. citri sicci vnc. s.*

rad. cyperi dragm. iij.

fol. rorismarini, majoranae, betonica an. m. s.

fl. lavendulae, rorismarin., salvia, stechad. arab. an. p. s.

cinnamomi, carrophyllor. maceris an dragm. s.

F. pulvis, qui excipiatur cotone moschato, &
cum panno serico interpuncto formetur *Cucupha.*

Singulis septimanis his utatur pilulis mane jejuno ventriculo:

R. *pil. cochiarum dragm. s.*

extracti catholici gr. xij.

scammonii gr. xv.

Cum syr. de stechad. q. s.

F. Pilulæ N^o. v.

Vesperis, ab istâ purgatione, sumat theriacæ dragmam unam
cubitum iturus. X.

In *victus ratione* aër sit moderate calidus, purus. Cibus sit fa-
cilis concoctionis, bonique succi; non flatulentus; hyslopo,
serpillo, satireia, aliisque attenuantibus conditus. Potus sit ce-
revisia tenuis, vinū tenue & parcius sumtum. Cæna sit valde fru-
galis. Vitet omnem crapulam & ebrietatem. Corpus tempestivè
& moderate exerceatur. Inter cænam & somnum tres ad mini-
mum intercurrent horæ. Decubitus fiat in alterutro latere; nun-
quam sit supinus. Noctu fidum adjunctum habeat hominem, qui
lamentantem & quiritantem mox expergeficiat. *Alvus respon-*
deat naturâ vel arte. Affectus animi sint pacati.

COROLLARIA.

1. **P**lato in *Timaeo* fol. 61. litt. E. ed. Steph. attribuit igni τὴν λεπτότητα γονίων, καὶ πλεονάζον ὀξύτητα, τῶν ἰσχυρῶν σμικροτέρων, καὶ τὸ φρεσὶς τάχος, accalidum dicit ibid pag. 100. litt. E. esse λεπτομερές τε καὶ διασατικόν, frigidum verò παχυμερές τε καὶ συμπατικόν. Ex quibus rectè colligitur calorem nihil aliud esse, quam insensibilium particularum motum variū; frigus vero earundem quietem, minoremve motum.
2. Datur tantum unus sensus, scilicet tactus; quanquam varia sint sensoria.
3. Species intentionales sunt corporales, & nihil aliud quam quidam materiae aetherae motus.
4. Queritur cur duobus oculis cernentes, unum objectum geminum non censeant? R. causa est, quod cerebrum tali situ sit collocatum, unde anima solet attendere ad rem unam; quod in oculorum, & curia iis nervorum, à parallelismo detorsione patet.
5. Cum objecta externa, superiora quidem inferius, ac inferiora superius, dextra in sinistro latere, ac sinistra in dextro, hoc est, omnia inversa sint picta in tunica retina, cur ea contrario modo extra esse sita judicamus. R. judicamus tantum secundum perceptionem impulsus radiorum certa regione venientium: Eodem modo, quo quilibet, ubi oculis clausis brachium ejus digito supernè vel infernè expercutitur, ex determinatione motus, facile situm digiti percutientis persentiscit.
6. Opium est & frigidum & calidum; sed non secundum idem.
7. Odor non est nuda qualitas; sed substantia.
8. Pro sola varietate celerioris & tardioris maturationis materiae febrilis nascantur febres intermittentes varia.
9. Palpitatio cordis nunquam fit à frigore.
10. Quibus catharrus in asperam arteriam delapsus est, iis convenit vomitorium; si verò in abscessum abiit, abstinendum.
11. Tam quantitas, quam qualitas est principium activum.
12. Queritur an accidens producat substantiam. Adferunt calorem, & radios speculo concavo collectos ignem gignere. Nos ibi accidens unum proferre alterum volumus; nullamque esse substantiae productionem, nisi à causa primâ.

Υ Μ Ν Ο Σ

εἰς τὸν

Ο Ν Ε Ι Ρ Ο Ν

Χαῖρ ὕπνω βελέεσσι βροτῶν βασίλεια δαμέντων,
 Εἴνουχε Μναμοσύνη, νόε̄ ευρυμέδοντ' ἄγαλμα,
 Ἀμερίνω καμάτοιο λάχ' παλινωδείωσα.
 Εὐδόντων ἐλάττερα, ἐγειρομένως δὲ φυγοῖσα.
 Νυκλιφανής, ἀφανής δὲ μεζάμβρινα μαλποπέδιλε,
 ἈΨοφαθ' εἰλίσσωσα πόδας· φιλοπαλοπρόσαλλε,
 Οὐποθι κολλομελῶσα βροτοῖς ἐρατὴν ποτε δ' αἶσα
 Σκιδάσσωσ' ἀκέεσι, ἢ ἔμπαλι λυγρὸν ἰωκάν.
 Κλυθί μου εὐχομένοιο· φάνης ὅτε κἀμίπε γαῖαν,
 Εἴλθ' ἐμάκαιρ δ' ὄφρων· ἀνθ' ἀδύπ' ἀμαρ ἄνυσσα,
 Ἰῶσι ὄναρ μοι Μναμοσύνη, ἢ μνείαν ὄπασσαι,
 Εἰ δὲ κακὸν ἢ ἐμὴν καβαφάνατο, πότνια Λάθη.
 Ἰλαθι δῖα θεῶν, ἢ ἀδύμον ὕπνον ἐμεῖο
 χῦθι ἐπὶ βλεφάρῳ· τῶ δ' ἀμφιπόλως, Εἴφιάλτας
 Γυοβαρεῖς, δεινὸν τε φόβον, καὶ αἰκέ τις ἀλλ' ἄ
 Ἀσυχίας θφόρος ἀμβροσίης, λπὸ' ἀμμιν ἀμυνον,
 Κῆφ' ἔκαθεν τήνοις μένον τε ἀνώτα φυλάσσειν.

Ludibundus

Scripti Cognato suavis. C. E.

JOH. TEECKMANNUS.




00 A 6396

ULB Halle 3
002 928 167



St





LLARIA.

ntur.
m efficaciter concurrat ad hominis

ivit.
ncipalia in corpore, quam unum.

inatione.
erunt locis.

ne m

x-rite colorchecker CLASSIC



MEDICATIO

VIRI

I N C U B O

DIVEXATI;

Q U A M

Divino adjuvante Numine

SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ
ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicæ disquisitioni exhibet

CORNELIUS ELBARCHS Arenaco-Geldrus

Ad diem 10. Septembris, hora 9. matutina



Naturâ & Industriâ.

TRAJECTI ad RHENUM,
Apud PETRUM DANIELIS SLOOT,

ANNO M. DC. XLV.

